



36





J. III. 36.
a-b

g

DIE V. MAII.
IN F E S T O
B. PII QVINTI
Summi Pontificis.

S E M I D V P L E X.

*Omnia de Cōmuni Con-
fessoris Pontificis, prater
Lectiones secūdi Nocturni.
Lectio IV.*

Pius in Oppido In-
subriæ, quod Boschū
vocant, natus, sed è Bo-
nonia oriundus ex no-
bili Ghisleriorum fami-
lia, cū quatuordecim
esset annorū, Ordinem
Prædicatorum ingressus
est. Erat in eo admira-
bilis patientia, profun-
da humilitas, summa
vitæ austeritas, conti-
num orationis studiū,
& regularis observatiæ,
ac Divini honoris ardē-

tissimus zelus. Philoso-
phiæ verò ac Theolo-
giæ incumbens adeo in
iis excelluit, ut illas do-
cendi munus magna cū
laude per multos annos
exercuerit. Sacras con-
ciones pluribus in locis
eum auditorum fructu
habuit. Inquisitoris of-
ficium inviolabili ani-
mi fortitudine diu susti-
nuit, multasq; Civitates,
non sine vitæ discrimi-
ne, ab hēresi tūc grāfsā.
te immunes servavit.

℞. Inveni David ser-
vum meum, oleo sancto
meo unxi eum: * Man-
enim

In Feflo B. Pij Quinti Summi Pontificis.

enim mea auxiliabitur ei. *ψ*. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocet ei. Manus.

Lectio V.

A Paulo Quarto, cui ob eximias virtutes charissimus erat, ad Nepesinum, & Sutrinum Episcopatū promotus, & post biennium inter Romanæ Ecclesiæ Presbyteros Cardinales adscriptus fuit. Tum ad Ecclesiam Mōtis regalis in Subalpinis à Pio Quarto trāsatus, cum plures in ea abusus irreplisse cognovisset, totam Diœcesim lustravit, rebusque compositis Romā reversus gravissimis expediēdis negotijs applicatus, quod justum erat Apostolica libertate, & constantia decernebat. Mortuo autem Pio præter omniū

expectationem electus Pontifex, nihil in vitæ ratione, excepto exteriori habitu, immutavit. Fuit in eo religiōis propagandæ perpetuum studium, in Ecclesiastica disciplina restituēda indefessus labor, in extirpandis errorib⁹ assidua vigilantia, in sublevandis egentium necessitatibus indeficiens beneficentia, in Sedis Apostolicæ juribus vindicandis robur invictum.

R. Posui adjutorium superpotentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. *ψ*. Inveni David servum meū, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

SElimum Turcarum Tyrannum multis elatum victoriis, ingente comparata classe, ad Echi-

In Festo Pii Quinti Summi Pontificis.

Echinadas insulas non tam armis, quàm fulis ad Deum precibus devicit. Quam victoriam eâ ipsâ horâ, quâ obtenta fuit, Deo revelante cognovit, suisque familiaribus indicavit. Dum verò novam in ipsos Turcas expeditionem moliretur, in gravem morbum incidit, & acerbissimis dolorib⁹ patientissimè toleratis ad extrema deveniēs, cùm Sacramēta de more suscepisset, animam Deo placidissimè reddidit anno millesimo quingētesimo septuagesimo secūdo, ætatis suæ sexagesi-

mo octavo, cùm sedisset annos sex, mēses tres, dies vincti quatuor. Corpus eius in Basilica sãctæ Mariæ ad Præsepe summa fideiū veneratione colitur. Multis à Deo ejus intercessione patris miraculis.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omniū populorum. *Ÿ.* Iste est qui contēpsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Ipse intercedat. Gloria Patri. Ipse intercedat.

S *Acra Rituum Congregat: ad preces Fr. Io. Thomæ de Rocaberti Magistri Generalis Ord. Predicatorum, supradictas Lectiones proprias Beati PII V. Summi Pontificis, diligenter revisas per Eminentissimum D. Cardinal. Bonam, die 5. Maij cum Officio de Comuni recitandas in omnibus Ecclesiis tam Sacularibus, quàm*


quàm Regularibus utriusque sexus; imprimi Urbis Rō-
mæ (ubi ejus Corpus in Parochiali S. Maria Majoris Ec-
clesia requiescit) tum in Oppido Boschi Dertonensis Diox-
cesis, ubi natus est: Nec non in Dioecesibus Montis Rega-
lis, & Nepesina, atque Sutrina ubi fuit Episcopus; Item
in universa Religione Prædicatorum utriusque sexus,
(cujus Regulam dictus Beatus professus est) approbavis
& imprimi posse concessit.


Hac die 16 Julij, 1672.

F. M. Episc. Portuensis Card. Brancatius.

Loco † Sigilli.

Bernardinus Casalius Sacræ Rit-
Congreg. Secret.





3969

16

11. Sotbudia



J